Gnesnen. Decimarum.

1 **Reu. Pater.** QVum Nobiles Casimirus Richlovvski, Iosephus Leonieuski, Adalbertus Rychlouski, Paulus SucheKi, alijque litis Consortes Aduersarij renuerent Decimas ex Bonis, quæ possident in districtu Parochialis Ecclesiæ Drubycensis, persoluere Reu. Domino Philippo Biczynski Parocho *in Manipulis*, nempè in ea specie fructuum, quæ recolliguntur, sed vigore ass., & insubsistentis præscriptionis, seù Compositionis illas pendere dumtaxat vellent in *certa tenui quota pecuniaria*, hinc delata controuersia ad Curiam Metropolitanam Gnesnensem, meritò ad formam præcipuè Constitutionum *Prouincialium*, & *Apostolicarum* peculiariter in Regno Poloniæ constantissimè vigentium, de quibus latè mentionem facit *Sac. Rot. in Cracouien. Decimarum super Bono Iure ... Aprilis 1750. coram Reuerendissimo P. D. Cortada*, prodijt *die prima Maii* 1741. Sententia fauorabilis Parocho Principali prò competentia Iuris exigendi Decimas in Manipulis, *Summario numer.* 2.

2 Causa in gradu appellationis ad Tribunal Apostolicæ Nunciaturæ deuoluta, quum prouentus Parochiæ vnicè consistant in perceptione Decimarum Manipularium, hinc Dominus Auditor Nunciaturæ *prouisionaliter* ordinauit fauore Parochi subministrationem summæ 100. Talerorum cusorum in causam declarandam mediantibus binis Decretis, de quibus *Summario numer.* 3.; Hoc ægrè ferentes Parochiani Aduersarij, statim contra Decreta subministrationis Breue appellationis expediuerunt, sed huius reportatio *sub die* 18. *Iunii* 1742. *ordinata fuit* ab R. P. D. Auditore cum remissione Causæ principalis ad Tribunal Nunciaturæ, *Summario numer.* 4., subindèque ad vexandum eo semper magis proprium Pastorem, negantes huic contra Diuina Præcepta temporalem substentationem, Litteras quoque Citatorias aduersùs supradicta Decreta subministrationis prò adeundo hoc Supremo Tribunali extorxerunt, sed iterum illas moderatus fuit *sub die* 8. *Nouembris* dicti anni idem R. P. D. Auditor, *Summario numer.* 5.

3 His non obstantibus, Parochiani Aduersarij proprio Pastori renuerunt semper summam 100. Talerorum persoluere taliter, vt potiùs pati voluerint publicationem Cedulonum excommunicationis à Tribunali Nunciaturæ relaxatorum, immò ijdem Parochiani mediante opera Auditoris Metropolitanæ Gnesnensis Dominici Kielezeuski, Sanguine iuncti cum altero ex Parochianis, per vim, & metum induxerunt Dominum Principalem ad subscriptionem cuiusdam compositionis, seù Concordiæ tàm super Decimis prætetitis non solutis, quàm super Decimis manipularibus in posterum soluendis *in pecunia*; Sed emissa per Parochum *Drusbicen.* solemni protestatione aduersùs huiusmodi concordiam sibi, & Suc-

 ces-

cessoribus summopere læsiuam, & à Constitutionibus Prouincialibus, & Apostolicis improbatam, Causam super solutione Decimarum *in Manipulis* prosequutus fuit in Tribunali Nunciaturæ Apostolicæ.

4 Discussa igitur Causa hinc indè in Tribunali Nunciaturæ sub die 1. *Septembris* 1749. iustissima emanauit Sententia prò abolitione, & cassatione præfatæ Concordiæ, nec non confirmatione Iudicati Metropolitanæ Gnesnensis super iure exigendi Decimas in ipsis Manipulis, *Summario numer.* 6.; Pro præteritis vero Decimis, & quoad summam 100. Talerorum in causam declarandam per bina Decreta Signaturæ approbatam, calculum fieri mandauit, & prò eo, quod Creditor remanebat Parochus, Mandatum contra Parochianos relaxauit sub reincidentia in Censuras in casu contrauentionis *Summ. cit. n.* 6. *litt. A.*

5 Aduersus hanc Sententiam Parochiani Aduersarij sub die 12. Augusti 1751. nouum Breue appellationis expediuerunt, quo Causa ad placitum Aduersariorum commissa fuit Reuerendissimis *Valentino Vzzinski* Custodi, *Antonio Vollovicz* Gnesnen., ac *Francisco Czernij* Cracouien. Ecclesiarum respectiuè Canonicis, & eorum cuilibet, *Summario numer* 7.; Quamuis autem isti Iudices Commissarij, aùt vnus eorum non potuissent alteri Causam committere appellationis eo modo, quo non possunt Iudices Commissarij hic in Vrbe, quamuisque ijdem Iudices ex causis iustissimis recusati, atque in suspectos allegati fuerint vsque, & *sub die* 15. *Martii proximè præteriti* per Parochum Principalem, *Summario numer.* 8., nihilominus alter eorum, nempè Reuerendissimus *Antonius Vvolleuicz* Causam appellationis *sub die* 6. *Maii* paritèr *proximè præteriti* cognoscendam commisit Reuerendissimo Archidiacono Liuoniæ, proùt non controuertitur, & patet ex actis transportatis.

6 Libenter Nobiles DD. Aduersarij coram nouo sibi beneuolo Iudice statim sub die 17. dicti mensis Maij comparuerunt, citato Reu. Domino Parocho Principali, qui licèt *in actis* consentire noluerit in iurisdictionem noui Iudicis, immo protestationem *die* 15. *Martii* emissam renouauerit, ac reproduxerit, *Summario numer.* 1. *litter. A.*, attamen nouus Iudex Commissarius sub dicta die pronunciauit, vt in eodem *Summario numer.* 1. *litter. B.*, ibi= *Ego infrascriptus COMMISSARIVS IVDEX &c. easdem protestationes vtrasque per admodum Reu. Bierzyski tàm scripto, quàm verbo factas, reuocandas, ac remouendas decreui, & quatenus &c. PRÆSENTI SENTENTIA reuoco, remoueo, & prò nullis declaro, & ad fundandam meam iurisdictionem &c. accedo* =, à qua Sententia ibi *præsens* coram Iudice prò Tribunali sedente Parochus Principalis appellauit alta voce prolato verbo = APPELLO =; cit. *Summ. n.* 1. *litt. C.*

7 Appellatione interposita non obstante, sicque *attentata attentatis addentes* Domini Aduersarij prosecuti sunt Iudicium coram eodem Iudice, Domino Principali iurisdictionem istius semper recusan-

te *Summario dicto n.1.litter.D.*, *& E.*, quamobrem ijdem Aduersarij in pænam recusationis contra proprium Pastorem institerunt prò comminatione Censurarum, & Iudex beneuolus, abusus illa iurisdictione sibi etiam *nulliter* data, Monitorium relaxari decreuit, sæpedicto *Summario numer.1. litter.F.*, *& G.*, quinimmò, cum subindè idem Principalis denuo citatus coram Iudice non comparuerit (Quis crederet ?) eum in pænam non comparitionis, *instantibus Aduersarijs*, Iudex *ipso facto* excommunicatum declarauit, atque Nobili KobievzyKi alteri ex Aduersarijs, vti asserto Patrono Ecclesię Drusbycensis, facultatem tribuit alium Presbyterum substituendi in administratione Curæ Animarum, donec Censuris innodatus remaneret miser Parochus Principalis, *Summario sæpecitato numer. 1. litter. H.*, *& I.*; Tandemque sub eodem mense *Maii* reuocando præcedentia Iudicata Metropolitani, ac Nuncij præcipitanter Iudicium absoluit, sententiando, DD. Aduersarios non teneri, neque obligatos esse ad solutionem Decimarum in Manipulis, sed solum in pecunia eodem *Summario num.1. litt.L.*

8 Modò autem ad reparanda grauamina Reuerendo Domino Philippo Biczcynschi Principali Parocho Drusbycensi illata, porrigimus hodie in hoc Supremo Tribunali *Commissionem* in fronte Summarij impressam, quàm tuta spe confidimus signandam fore cum Rescripto = *Circumscripta Sententia Archidiaconi Liuoniæ*, *ac subministratis scut.100.*, *ad Rotam ex integro à Sententia Nunciaturæ* =, prout humillime supplicamus.

9 Nullitas Sententię, quę viam aperit illius circumscriptioni, ineuitabilis fit ex *defectu iurisdictionis*; Nàm licèt regula sit Delegatum Principis posse subdelegare, attamen regula isthæc solemnem patitur limitationem, vbi electa fuerit industria personæ, & cognitio Causæ *personaliter* fuerit commissa, hoc enim in casu Iudex delegatus etiam à Principe non potest subdelegare, sique subdeleget, acta per subdelegatum remanent ipso Iure nulla ex defectu iurisdictionis iuxta claros *Text. in cap. fin. de offi.*, *& potest. Iudic. Deleg.*, *& in cap. eo, cui eod. tit. in 6.*, & aduertunt *Vant. de Nullit. tit. de nullitat. ex defect. Iurisdict. delegat. sub numer.21. Capyc. decis. 151. numer.6.*, & cum alijs *Rigant. ad Reg.48. Cancell. nu.8.*, *& 16. tom.3.*

10 Quod verò Iudicum in Breui deputatorum electa fuerit industria, ac Causæ appellationis cognitio ijs *personaliter* commissa, vix est, vt dubitetur inspecto ipso tenore Breuis, de quo *Summario num.7.* Dirigitur enim Breue appellationis tribus Personis expresso *proprio nomine*, *& cognomine* cuiusque *cit. num.7. in fin.*, committitur itidem cognitio Causæ ipsorum delegatorum discretioni, *Summ. cit. num.7. litt.B.* ibi = *Discretioni tuæ per præsentes committimus*, *& mandamus* = : Vlterius Pontifex Causam, & Causas committit *per ipsosmet* Iudices, vel eorum alterum cognoscendam, decidendam, & terminandam verbis illis *personalitatem*

 de-

denotantibus ibi = *Quatenus VOS, duo, aut vnus VESTRVM &c. Causam, & Causas præfatas cum omnibus suis inciden., dependen. &c. COGNOSCATIS, DECIDATIS, fineque debito TERMINETIS* =, *dicto Summ. n.7. litt.B. & C.*

11 Quoties autem delegatio fit non Dignitati, sed Personæ expresso *nomine*, & *cognomine*, aut negotium committitur discretioni ipsius Delegati, aut committitur per verba *personalitatem* denotantia, vt sunt verba illa *Vos cognoscatis, decidatis, tu cognoscas, exequaris* =, in his terminis conueniunt *Doctores*, censeri electam Personæ industriam, siuè cognitionem Causæ *personaliter* demandatam, ac per consequens prohibitam subdelegationem, prout in casu expressionis *nominis*, & *cognominis* clarus est *Text. in cap. vno Delegatorum, de offic., & potest. Iudex. Delegat*, & tradunt, *Menoch. de Arbitr. cas.968. num.16. Fragos. de Republ. Christian. lib.4. disput.10. §.1. num.120.*, & *123. tom.1.*, & in casu clausulæ illius = *Discretioni tuæ mandamus* docet *Barbos. in cap. fin. de Offic.*, & *potest. Iud. Delegat. num.11.*; Demumque in altero casu verborum *personalitatem* denotantium, aduertunt idem *Barbos. loc. cit. num.8. Pax. Iordan. lucubrat. Eccles. lib.13 tit.6. n.32. tom.3.*

12 Cessat verò quæuis difficultas inspecta dispositione *Regulæ Cancellariæ* in ordine la 48., ad impediendam subdelegationem per Pontifices emanata, vt optimè notat peritissimus *Rigant. in commentar. ad dict. Reg.48. num.20.*; In ea namque præcipitur, vt quotiescumque in Commissione manu Pontificis, vel de eius mandato signata datur Iudex pro exequendis aliquibus negotiis, Litteræ per Datariam desuper expediantur cum expressione, quod Iudex *exequutionem faciat per seipsum*, prout verba Regulæ sunt clarissima ibi = *Item voluit, statuit, & ordinauit, quod quotiescumque per Signaturam suam, vel de eius mandato factam super exequendis aliquibus cum adiectione proprii nominis, vel Dignitatis cuiusuis Iudex datur, Litteræ desuper expediantur cum expressione, quod idem Iudex executionem faciat PER SEIPSVM.*

13 Quum ergo Breuia appellationum expediantur per Datariam præuia Commissione *manu Sanctissimi signata*, in qua Iudices dantur pro cognoscendis Causis appellationum, vt notissimum est RR. PP., & patet ex ipso Breui, *Summario num.7.*; quumque ad tramites dispositionis dictæ Regulæ Cancellariæ expediantur Litteræ, seù Breuia appellationum cum expressione, quod omnes tres Iudices, *duo*, aut *vnus* procedant *perseipsos*, nullus remanet dubitandi locus, quin in hoc casu Iudices tamquàm Commissarii impediantur subdelegare, cum finis Regulæ, expresse, quod procedat per seipsum, præcipientis vnicè sit impediendi Iudici Commissario ipsam subdelegationem, quemadmodum reprobato *Garc. &c.* docent *Sotus ad eamdem Regul.48.* apud ipsum *la 46. num.1. & 2., Rebuff. ibid. num.1., Kochier* pariter *ad dict. Regul. num.5.*, & modernus *Rigant. ibid. num.8. & 9.*, & præsertim *num.19.*, & *20.* ibi = *Conuenio tamen cum Soto, Rebuffo, & Kochier,*

ebier, quod si iuxta terminos huius Regulæ Papa det certum exequutorem cum expressione, quod per seipsum procedat, iste non possit subdelegare, vt reprobando Garc. tradit. Ros. de Execut. litt. Apost. &c., cum alioquin inanis esset dispositio huius Regulæ, QVÆ EMANAVIT AD FINEM EVITANDI SVBDELEGATIONEM, *nec quidquam posset operari &c.*

14 Neque opponere iuuat, quod in Litteris, seù Breui appellationis, de quo in *Summario sæpecit. numer.* 7., adposita non fuerit clausula = *quod procedant per seipsos* =; Siuè quia adiecta censetur per æquipollens per verba nempè *personalitatem* importantia, quæ in Litteris, seù Breui leguntur videlicet = *Discretioni tuæ committimus, & mandamus, quatenus VOS, duo, aut vnus VESTRVM &c. Causam, & Causas &c. cognoscatis, decidatis, fineque debito TERMINETIS* =: Siuè quia in omnem pessimum casum eo ipso, quod Regula Cancellariæ iubet, similes Litteras, seu Breuia expediri cum expressione, *quod procedant per seipsos*, ad formam huius legis dicta clausula, aut expressio tacitè subintelligitur, & cum illa Litteræ censentur expeditæ, quæmadmodum cum aliis in specie respondet *Rigant. loc. cit. num.* 5., & 6. ibi = *Et licet iuxta modernum stylum, nec etiam in Litteris in forma Dignum, & in forma commissaria expeditis, apponatur hæc clausula quad per seipsum procedat, nihilominus, vt existimant nonnulli Doctores, adiecta censetur PER ÆQVIPOLLENS, PER VERBA nempè PERSONALITATEM IMPORTANTIA, quæ in iisdem leguntur &c. Et in omnem casum, cum Regula IVBEAT expediri Litteras CVM EXPRESSIONE, quod Exequutor PER SEIPSVM exequatur, AD FORMAM HVIVS LEGIS LITTERÆ CENSENTVR EXPEDITÆ, ET INTERPRETARI DEBENT.*

15 Hæc omnia simillimo exemplo confirmantur: Sicuti enim *Iudices Commissarij* hic in Vrbe in Causis Appellationum deputati præuia Commissione, vel manu Sanctissimi, vel de eius mandato signata, non possunt etiam cum consensu Partium subdelegare, sicque alteri Causas appellationis committere, sed *per seipsos* Causas cognoscere debent, ac in eis *per seipsos* pronunciare, tametsi in Litteris Commissionis apponi non soleant verba illa, *quod procedant per se ipsos*; taliter, vt si Iudex aliquis Commissarius impeditus sit Causam per seipsum cognoscere, potestatem non habeat illam alteri cognoscendam committere, sed opus omnino sit, aliam obtinere Commissionem *subrogatoriam* manu Sanctissimi, vel de eius mandato signatam, vt notum est: Ita profectò etiam Iudices Commissarii in Partibus deputati per Breue in Causis pariter Appellationum præuia Commissione manu Sanctissimi signata, æquè subdelegare minimè poterunt, quamuis in Breui Commissionis non soleant apponi præcisa verba, quod procedant per seipsos.

16 Nec potest certè assignari differentiæ ratio pro effectu potestatis subdelegandi inter Iudices Commissarios in Vrbe, & IudicesCommis-

missarios in Partibus, cum omnes sint Iudices in Causis Appellationum, omnes deputentur à Supremo Principe præuia Commissione, vel manu Sanctissimi, vel de eius mandato signata; Breuia solita expediri pro deputatione Iudicum Commissariorum in Partibus concipiantur ijsdem verbis, & clausulis, quibus concipiuntur Commissiones pro deputatione Iudicum Commissariorum hic in Vrbe, prout recognoscere supplicamus in *Summario numer.7.*, nisi velimus dicere, differentiam duntaxat in eo adesse, quod in Causis Appellationum, quæ per Breue committuntur in Partibus, tres Iudices deputari soleant cum facultate cognoscendi Causam, vel omnes simùl, vel *separatim* ad effectum planè vt vno, vel altero impedito, alius Causam cognoscere possit, ne vno deputato Partes cogantur nouum Breue subrogatorium expedire: Verum hoc magis confirmat defectum potestatis subdelegandi; Nàm *si vnus ex tribus* causam appellationis cognoscere nolit, potest recusare iurisdictionem sibi delegatam, & Appellantem ad alios duos Delegatos remittere, nullatenùs verò licere potest vni ex delegatis, *neglectis aliis duobus*, tertiæ Personæ causam appellationis committere, vt per se fit manifestum.

17 Posito igitur, quod R.mus Antonius Vuollovicz alter ex Iudicibus Commissariis non potuerit subdelegare Archidiaconum Liuoniæ ex rationibus supra deductis, indè sequitur, quod Sententia ab Archidiacono præfato præcipitanter contra Principalem promulgata, sit ipso iure nulla ex *defectu jurisdictionis*, & proindè ab hoc Supremo Tribunali circumscribenda iuxta *Authoritates* supra deductas §.9., quibus additur *Passerin. in cap. Is cui num.* 10. *de Offic.*, *& potest. Iud. Deleg. in* 6. ibi = *Vbi tamen constat, electam personæ industriam, Delegatus non potest subdelegare, & si id faciat, ACTA PER SVBDELEGATVM SVNT IPSO IVRE NVLLA EX DEFECTV IVRISDICTIONIS, ut notant Gloss. &c.* =, maximè in casu nostro, ubi Principalis jurisdictionem eiusdem Archidiaconi subdelegati semper impugnauit, ac de nullitate protestatus fuit, *Sum. n.*1. *lit.A. & E.*

18 Præterea in *falsissima* hypothesi, quod Iudices Commissarii habuissent à iure facultatem subdelegandi, attamen, stante recusatione, ac suspicionis allegatione contrà Iudices per Principalem usque, & sub die 15. Martii proximè preteriti proposita, *Sum. n.*7., & coram etiam Archidiacono subdelegato iudicialiter repetita, & reproducta, *Summario num.*1. *lit.A.* adhuc alter eorum subindè, nempe die 6. Maii eiusdem anni non potuisset subdelegare contra iuris dispositionem, qua cautum habemus, Iudicem delegatum post propositam, licet non probatam contra eum recusationem non posse subdelegare, nisi accedat consensus ipsius Recusatoris, prout ad tramites rotundi *Text. in cap. Iudex* 5. *de offic., & potest. Iud. Delegat. in* 6. docent *Engel. in Ius Can. lib.* 1. *tit.*29. *sub num.* 18. ibi = *POSTQVAM vero SVSPICIO PROPOSITA EST, NON ALITER valebit subdelegatio, quàm CVM CONSENSV RECVSATORIS* =, *Pirhing.* pariter *in Ius Can. eod. tit. num.*149.

ubi

ubi rationem dat hiſce verbis = *Ratio prioris partis eſt, quia poſtquam probabilis cauſa ſuſpicionis eſt propoſita contra Iudicem delegatum, non eſt quidem extincta, SED SVSPENSA, ET IMPEDITA EIVS IVRISDICTIO, conſequenter in Cauſa ſibi commiſſa ulteriùs procedere, vel illam alteri ſubdelegare NON POTEST, niſi CONSENSV RECVSATORIS hoc impedimentum iterum tollatur* =.

19 Hiſce omnibus accedit ineuitabilis alia nullitas Actorum, & Sententiæ Archidiaconi Liuoniȩ; Habemus enim in facto, quod lata per Archidiaconum ſub die 17. Maii Sententia, qua pronunciauit, proteſtationes per Principalem propoſitas eſſe revocandas, ut in *Summario num.* 1. *lit.B.* ibi = *Ego infraſcriptus Commiſſarius Iudex &c. eaſdem proteſtationes utraſque per adm. R. Biczynski tàm ſcripto, quàm verbo factas, revocandas, ac removendas decrevi, uti quatenus &c. PRÆSENTI SENTENTIA revoco, remoueo, & pro nullis declaro &c.* =, ſtatim *apud Acta, & Iudice adhuc pro Tribunali ſedente* R. D. Biczynski Principalis viva voce appellauit prolato verbo = APPELLO = *dicto Summario nu.* 1. *lit.C.*, quapropter pendente huiuſmodi appellatione legitime interpoſita per verbum *appello* juxta apertos *Text. in l.*2. *ff. de Appellat.* ibi = *Sed ſi apud Acta quis appellauerit, ſatis erit, ſi dicat. APPELLO* =, *& in l.*5. *ff. eod.*, *& in l.*14. *C. eod. tit.*, non poterat Archidiaconus aſſ. Iudex in Cauſa ulteriùs procedere, & *præcipitanter*, poſtquam ſub *diebus* 18. *&* 19. dicti menſis *Maii* excommunicatum *ipſo facto* (quod prorſus inaudita res eſt) declarauit Principalem ob non comparitionem in Iudicio, *Summario cit. num.*1. *lit.F. G.H. & I.*, Sententiam ferre ſub alia Inſtantia *diei* 26. *eiuſdem Menſis*, prout fecit, *Summario d. n.*1. *lit.L.*; Scitum namque eſt, omnia Acta à Iudice poſt appellationem geſta, ipſo iure infecta manere ad Iura RR. PP. notiſſima.

20 Quemadmodum autem ex hactenùs conſtabilitis circumſcribenda ſunt omnia Acta, & Sententia Archidiaconi Liuoniæ, ita etiam potiori iure Supremum hoc Tribunal ordinare debet ſubminiſtrationem ſaltem ſc.100. fauore Parochi Principalis in cauſam declarandam, prout de anno 1741. Rmus Nuncius ordinauit ſubminiſtrationem in ſumma 100 Talerorum, *Summario num.*3. canonizatam ſubindè ab hoc eodem Tribunali, *Summario num.*4. *&* 5.; De paupertate enim Parochi non poteſt dubitari, dum prouentus Parochiæ omnes ferè conſiſtunt in perceptione Decimarum, ut patet ex *Summario num.*2. *&* 6.; Bonum autem ius percipiendi Decimas in Manipulis reſultat ex Sententiis Ordinarii, & Nuncii, ſed non eſt dubitandum de bono iure pro effectu ſubminiſtrationis, quia exadverſo non impugnatur ſolutio Decimarum in genere, ſed dumtaxat prętenditur, eas ſolui in pecunia, non in Manipulis; hinc cum Parochus ſemper ſit Creditor Decimarum, donec lis definiatur, num eas habere debeat in manipulis, uel in pecunia, non poteſt eidem denegari aliqua ſubminiſtratio in cau-

ſam

ſam declarandam; ne Parochus Sacramenta Parochianis Aduerſariis miniſtrans, hoc interim neceſſariis alimentis priuetur.

Quare &c.

Antonius Dominicus Franci.

Signatura Juſtitiæ
R. P. D.
MANNELLI
Gneſnen. Decimarum.
PRO
Ven. Eccleſia Parochiali Drusbicen., necnon Rev. D. Philippo Biczynski illius Parocho.
CONTRA
Ill. DD. Alexandram Mat. Tut., & Cur. Filiorum Adalberti Richlovoski, Paulum Sukeki, & alios Litis Conſortes.

G

Facti.

Proponam die Jovis 11. Jan. 1753.
U. Mannelli.

Pro

4

Typis Bernabò 1753.

Druki [illegible]

dotyczące drzewa

różnych województw polskich

20.000